



## Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

**Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.**

II. De Piscibus, Molluscis & Crustaceis Philippenfibus,  
Ex MSS. R. P. Geo. Jos. Camelli ad D. Jacobum Petiver, S. R. S. transmissis.

1. **B**angsî, Hispanis *Volador*, est Milvus marinus.
2. *Basac*, vel *Tambasacan*, v. *Tambalo*, est pisciculus manatus amphibius, vivens mari & terra, in littore duabus quasi manibus innixus discurrere solitus.
3. *Afaasa*, v. *Humaban*, v. *Quiquicbuaya* Bysaianis, *Parolog* Tagalis, *Dumдум* Catanduanis, est *Hypocampus* marinus. An ab hoc distinctus *Talli* ?
4. *Talli* Bysaianis, *Hypocampus* auriculatus, caput equinum, corpus costis compactum, caudâ lacerti.
5. *Hipou*, v. *Dilis*. Species *Squille marinæ minimæ*, v. *Formica marina*. Narrant tempore foetationis in monstruosæ magnitudinis glomum conglomerari, ita ut nescio quale monstrum mentiatur, & tandem circa littus dissolvi. Eadem confirmat Fra. Ant. dela Zarza. Vide D. Petiver. GAZOPHYL. NATURÆ Tab. 43. fig. 13.
6. *Cobapo*. Piscis merum venenum spinis viridibus, quarum ictus viperâ quâvis immedicabilior.
7. *Manala*. Piscis Marinus, nocuus specificè Morbo Gallico laborantibus.
8. *Calambutan*, Tagalis *Nooz*, est *Sepia*, Hisp. *Xibia*. Os *Sepiæ*, Hisp. *Choca*, duarum spithamarum & trium invenitur.
9. *Pagi* est *Pastinaca* marina, Hisp. *Raya*. Radio seu aculeo, Indis *Bansul* gingivæ Scarificatæ in odontalgia dolorem tollit, sed oportet ut radius vivo Pisce exemptus sit. Hunc pulveratum cum *Eleboro albo* mixtum, facere dentes sine dolore excidere solent.

10. *Piscis Quadrangularis*, Orbibus annumerandus, Hyisp. *Peje Caxon*, id est *Piscis Cista*, Indis Boholanis *Tabalong*, Leytenibus *Tabarong*, Tagalis *Botele cavan*, est species *Snot-celji* secundi *Gesneri*, descriptionem vide fol. 84, Iconem *Tab. xxv. No. 7.* apud *Iohnstonium*. In Icone Pinna in fine ventris desideratur, & angulorum prostantia.

11. *Piscis Quadrangularis alter*, seu *Minor*, Facie *Tauri*, Clusio *Piscis Triangularis*, Iohnstonio *Piscis Tauriformis*, Hyisp. *Peje Torote*, Indis *Botele Maysungay*. Vescus est ut prior. Clusii *Triangularis*, collatus cum Luzonis *Quadrangulari minori*, idem esse videtur, sed *Icon Clusiani* nimium globosa, cum quem resiccatum asservabam prolongatus sit, & quandoque sesquipalmaris. Quare an idem sit ignoro.

12. *Gadiamina*, Ballæna Ambravoma Joloanis.

13. *Tandayag*, & 14 *Tambobala*, Balænae.

15. *Bujhaca* Massa est alba quasi sævacea, à Mari in lictus ejecta, colligitur circa *Tayavas* & *Tal*. Illitam *Bronchocele*m dissolvere tradunt. *An Sperma Cœti Officinarum?*

16. *Bela Sinarum*, de fertur ex *Canchinchina*; sunt autem panes 20 circiter librarum, candidi, sævacei, solidiusculi, lapidis specularis ritu, quodammodo in bracteolas scissilis insipidi, & sævum olentis liquoris. Ad Tusses, & puerulorum diarrhæas commendant. *An Sperma Cœti Offic.?*

17. *Puquitan*, *Polypus monstruosus*, & tam exorbitantis magnitudinis, ut pedum quivis majorem adæquet Pinnam, quibus penè nullo negotio navim mergat. Latitat ad Insulam *Iolo*, Batavis *Insula Margaritifera*, in sinu *Mindanaï*, in sinu *Sibuco*, in Freto *Sibuco*. *An Piscis Remorans Iohnstonij, Nirembergij, Linschotani?*

18. *Colaloca*, *Retiarius tremendus*. Insultum facit in hujates Biremes, rete jactans, quo eas involvit, & demergit. *Indi* periculum eludunt objiciendo eparentiâ magna ex palmis compacta volumina, quæ divertitur & illudatur.

19. *Lavin-*

19. *Lavinduyong*, *f. Tagan*, *Amamaspas* Boholanis, seu *Gladus denticulatum aculeatus*, sive *Pristis Rondeletij*, est *Gladus Johnstonij primus*. Promuscidem hujates contra fulmina valere volunt. Hysp. *Peje Sierra* & *Peje Espada*. Abundat in lacu *Bay*: Pinguedo lampadibus deservit.

20. *Quataffi Marianorum*; Hispanis *Peje Espada*, est *Gladus Johnstonij secundus*, promuscide lævi. Aliis *Bacangan*.

21. *Pexe Lanza*, seu *Piscis Lancea*, corpore est suppari *Tonninæ*, seu *Delphini*. Caput porcinum promuscidis loco longâ, & ut coreum *Rayæ*, asperâ armatum lanceâ. Alæ membranaceæ ut *Vespertilionis*, longitudinis ipsius corporis, latitudinis quandoque orgyialis, quibus velocissimè biremes insequitur, & non nunquam navis puppi lanceam infigit, aut etiam magis audaculos piscatores transtodit.

22. *Duyong* Indorum, *Peje mulier* Hispanorum, *Haybe* Sinarum, est *Manatus Clusii*, & aliorum. Icon *Piscis Anthropomorphos Johnstonij* ex *Kircherio* spuria est, & adinventâ. Dentes & Costæ medicum in usum veniunt: Attamen ossicula ex capite circa aures efficaciora sunt. Ex his sphærulæ & monilia fiunt, in Rheumate, Catharro, distillatione, defluxione, & sanguinis profluvio quocunque parti contrariæ applicanda. Probantur si sanguis ex incisa vena effluens, sine morâ admotis sistatur. Rasuram crudam in dysenteria, & febribus commendant; Suffumigium ex ea tenescino. *Schroderus* ulsa laudat in renum & vesicæ calculo, dolore nephritico, & colicâ, alij in gingivis erosio pro dentifricis. Dentes appliciti in arteria Pollicis recissa, illico sanguinem stiterunt Josepho Hernandez puero. Umbilico impositi mulieri, quæ 18 dierum copiosissime fluxu lochiorum exhausta erat, feliciter fluxum retardârunt. Indo è contra narium critica hæmorrhagia debilitato, quoties compon applicati fuere, toties fluxum vehementer auxerunt.

23. *Pogapo* Byssianis, Leytentibus *Mogapo*, *Piscis* est formæ *Tiburonis*, c. major bicubitalis, coloris nigro-morelli. Caput magnitudinis quartæ partis sui corporis, Fauces magnæ, corpus parum squamosum; vescus est.

24. Remora seu Echeneis, *Indis* Boholanis & Zebuanis *Comi*, Leytentibus *Quini*. An Brasiliensium *Speruquiba*? Ordinariè piscibus majoribus, & navibus inhæret, quas in cursu impedit, & retardat, quamvis non eâ violentia, qua passim, & vulgò narratur. Longitudinis est spithameæ, & ultra, coloris ex albido fusci, subviolaceè relucens. Capite supino acetabula habet fimbriata, seu cirrata, transversaliter posita, ut strigilis denticulatæ series, quibus pertinacissimè hæret, ita ut omni conatu trahendo, citius corpus, relicto capite, detrahatur; antequam caput disjungatur, si verò corpus caput versùs adigas facilè ditunietur, & separatur à re cui inhæsitat. vid. GAZ. NATUR. Tab. 44. fig. 12.

25. *Bangol*, Piscis *Catanduanus*, totus intra & extra ruberrimus, squamarum loco subverrucosus ut *Rana*, alatus ut *Hirundo*, alæ striatim pictæ ut *Tinnunculi*, setquispithameus, venenatus & non edulis. Suspendunt eum caudâ, brachijs infixò *Stylo*, & ita per noctem, omnis ejus caro, remanente tantummodo spinâ in sanguinem resolvitur, quem manè ex suppositis vasculis colligunt, & tincturis destinant; eo infecta coloris Laccæ sunt, floridæ, & constantis. Vide Fig. in GAZOPH. NATUR. Tab. 3c. fig. 2. *D. Peterer*.

26. *Pisciculus Tampal*, seu *Daledale*. Sesquipalmam longus, biunciam latus, planus est ut compressus, pronè argenteus, supinè terreus, Squammulæ crebræ, spinâ majori tantùm donatus, edulis. Vid. Fig. in GAZOPH. NATUR. Tab. 26. fig. 10. *Jac. Peirer*.

27. *Bigo*, Sanguisuga marina, piscis. Pisciculus est tenuissimus, vix sesquiuncialis, applicitus sine morâ sanguinis filum educit, nec dolorem, inflammationem, aut tumorem inducit, aut causat.

28. *Comondajha* Bylsianis. Species est Locustæ marinæ, sive *Tamara-guacu* Brasilianorum *Jobnstonij*, seu *Hippocampus Locustæ Mar. Spec.* Matthiol. Quam integrum vidi, formæ & magnitudinis erat, quâ à *Matthioli* depingitur. Asservo & alterius forfices, quarum unus solus articulus, digitam Indicem longus est. N. B. Longiusculè denticulatæ, falces brachijs

brachiis inferuntur foraminulatis, cultelli complicatilis in modum reflexæ.

29. *Olang*. *Locusta marina* major.

30. *Colagia*. *Locusta marina* minor.

In Provincia *Pangasinan*, circa Metropolitim *Lingayen*, ex fluvio arbores conscendere narrant, Animalia spithamâ longiora equo phalerato familia. *Berd. Carasco. An Species Locustæ fluviatilis?*

31. *Manla* Boholanis, Zebuanis & Panayensibus, *Tila Leyten*sibus, species est squillæ marinæ, quandoq; longitudinis bicubitalis.

32. *Banagan*. Species est *Astaci marini*, cornuti, echinati, paleari, luteo, & cinabarino variè & elegantissimè picturati. Vid. in GAZOPH. NATUR. *Jac. Petiver. Tab. 29. fig. 7.*

33. *Talangca*. *Astacus lacustris* magnus.

34. *Catung*. *Astacus fluviatilis* parvus.

35. *Bungcan*, *Cancellus* parvus, vix uncialis, vefcus, gaudens æstuariis, pulcherrimè omnibus coloribus variegatus: Forficula una pusilla, altera corpore quadruplo majore.

36. *Alimango*. *Cancer marinus* major.

37. *Alimafag*. *Cancer marinus* minor.

38. *Cancellum terrestrem*, hirsutum, qui gaudet *Palmetis Cocco-Nuciferis*, commendunt ut summopere proficuum diarrhæa laborantibus.

39. *Mentula marina*, Indis *Balat*, est *Zoophytum* marinum vefcum, formæ tubæ, bivalvis. *Sine* illud pluris æstimant, quàm *Tragacanthum Indicum Venerenum*, seu *Nidos avium Salgan*, & ad eadem commendant.

40. *Timpalan*, *Zoophytum marinum*, species *Spongiæ*, vide in supplemento in *Hist. Plant. Joan. Raij lib. I. fol.*

77. titulo *Plantæ marinæ saxatiles*, & *Zoophyta*.